

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Bacmeister

Joannes Bacmeisterus, D. Med. & ... Universitatis Rostochiensis Rector, Ad Solemnes Exequias Quas ... Jacobo Sporleder/ S.S. Theol. & Philos. Studioso, Hamela Brunswicensi hodie paratas cupit. Avunculus eius moestissimus, Vir ... Dn. Joannes Levinus Ferberus, ICtus ... Omnes omnium Ordinum Cives Academicos ... invitat

Rostochii: Kilius, 1671

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774678054>

Druck Freier  Zugang



Bacmeister, J.,

in

J. Sporleder.

Rostock, 1671.

27

JOANNES BAC-
MEISTERUS, D.
Med. & sup. Math. Prof. P.

V NIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
RECTOR

Ad
Solemnes Exequias

Quas

Ornatisimo ac Politissimo Juventu-



J A C O B O
Sporleder,

S.S. Theol. & Philos. Studioso, Hamelâ

Brunsvicensi hodiè paratas cupit,

Avunculus ejus mœstissimus,

V I R

Nobilissimus, Amplissimus ac Consultissimus,

DN. JOANNES LEVINUS

FERBERUS, JCtus Excellentissimus, &

Serenissimi Ducis Meklenburgici Confiliarius

gravissimus.

Omnes omnium Ordinum CIVES ACADEMICOS
fedulò & officiosè invitati.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. 1671,

411



Uamvis præclarè & luculenter
satis ævi hujus miseriam, inconstan-
tiam, fugacitatem, ac brevitatem
nobis ante oculos posuere illi, qui
VITAM HUMANAM exilio calamito-
so, peregrinationi laboriosæ, na-
vigationi periculo plenissimæ, cursui
celeri, vento veloci, sagittæ volanti,
gramini resecto, flosculo solstitiali,
foliis lapsantibus, bullæ, somnio, um-
bræ, & quod umbra somnioque inanius est, umbræ somnio
compararunt: Tamen ea est animorum nostrorum securitas &
supina oscitantia, ut rarissimè ad harum rerū cogationem de-
scendamus. Nam si in mentem nobis talia venirent, memo-
r esque essemus *Hipponensis Episcopi Augustini Verborum*, quibus
Vitam *banc dubiam, cæcam & ærumnosam* pronunciat, quam-
humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aëra
morbident, escæ inflant, jejunia macerant, joci dissolvunt, tri-
stitia consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebet at di-
vitiae jactitant, pauperias dejicit, juventus extollit, senectus in-
eurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit: Si corporis hanc
campaginem momento posse dissolvi, & omnia nostra membra
in cinerem redactum iri, cum animis suis reputarent iij, quibus
ætas adhuc est integra, quique firmis adhuc gaudent lacertis,
non certè poculis, non ensibus ac telis manus implicarent, non
diurnis nocturnisque cursitationibus pedes exerceherent, non
helluationibus ventrem distenderent, non intempestivis con-
viviis tempus consumerent, sed quisque officio suo fungere-
tur,

tur, & omnis generis Virtutes, quæ improbitate hominum in exilium actæ jam pridem fuerunt, brevi in has terras denuò redirent. Cum verò fragilitatis nostræ consideratio vel nunquam vel raro animum nostrum subeat, an non paternè & amicè nobiscum agit Pater noster cœlestis, dum quasi parietis vicini sàpe etiam recentis impulsione & lapsu nobis quoque ruinam imminere non tacite monet, sed altâ velut voce clamat, utita è profundo securitatis somno excitati ad quemvis casum parato simus animo, & jubentem Imperatorem sarcinis mature collectis expedite sequamur. Ita enim debemus existimare Juvenum ætate ac Viribus florentium, Virtutisque studiorum funera nihil aliud sibi velle, quam ut & ij, quibus multum ætatis jam peractum est, parum sibi superesse, qui que vix ejus telam exorsi sunt, facili momento eandem incidi posse meminerint: & qui voluptatibus operam dant, mortem sibi quotidiè imminere: qui verò Virtutem à primâ statim pueritia sectati sunt, vitam non mancipio sed usu sibi datam esse recordentur. Semel enim via lethi, *ut Poeta ait*, calcanda est, sive serius id fiat & decurso jam pleno vita spatio, sive oxyus & in ipso statim limine. Semel portus hujus tempestuosí pelagi, uti Seneca rectè Mortem appellat, petendus, nunquam recusandus, in quem si quis juvenilibus annis delatus fuerit, non magis queri potest, quam qui citò navigans felici vento suis restituitur.

Nam quid longa dies homini nisi longa dolorum

Colluvies: longi patientia carceris, etas

Longior: est cursus vite Labyrintbus, in ipsum,

Ex Utero ingredimus, per limina mortis abimus.

Gratulandum itaque seriò latrandumque eorum causa, qui pariter discriminibus tantis quibus alii qui mare hoc sulcant, ob scopulos atque brevia ejusdem sunt expositi, & ipso itinere defuncti sunt, neque tam stationem quam portum tenent. Exemplum hujus rei luculentum nobis hodie exhibet Doctissimus

Juve-

Juvenis JACOBUS SPORLEDERUS, quem Mors in ipso ætatis flore, priusquam ad solidam gloriam & suam, & Patriæ, & Ecclesiæ matureseret, immitti & fatali falce demessum ad pedes nostros dejectit. Dolet Pastor si quando fœturæ decoxerit spes: excussam grandine segetem agricola luget: ægrè fert rusticus, si, quas plantavit aut sevit arbores, eversas notat. Quod si acerbum cuique laboris impensi fructu excidere; quo oportebit nos esse animo, dum in præsentî egregii Academiæ nostræ Alumini Funus indicendum venit? Ergone tot maximarum, quibus ornatus, dotium nihil nos commovebit amissio? Nihil excruciamur animi, cum universum spei nostræ ordinem, quæ de profectibus, quos in clarissimarum artium studiis egregios feceret, concepta nobis, non interruptum magis, quam penitus eversum intuemur? In copiis ac abundantia pati quidamni facile est, in egestate atque penuria, tantò acerbior jaætura quælibet, quo minus & adest in præsens solatii, & in futurum ptaæsidii manet. Sed quâ eorum laboramus paucitate, qui dedant se sapientiæ studiis; aut, ubi se dederint, legitimis itineribus progredi queant: dum, si non mergit & deprimit, jaætat atque circumagit tamen plerosque hic fluctus temporum, ut pro portu haberi debeat litus quodlibet, in quod tempestas enatare permisit? Non potest iisdem pacari & tranquillari Patria, quibus turbata olim causis fuit. Quietem & pacem scelus ac vis elidunt facile: sed non nisi optimæ & sapientissimæ artes restitununt ac firmant. Quarum quo partiis aut negligentius studium est, hoc magis exposita casibus securitas publica est, & in adversa fortunæ omnium patent. Quapropter & Patriæ causa dolendum maximè: cui talis prærepta indoles, de cuius ingenio uberi tot saluberrimarum artium efflorescere seges ceperat, & messem lætissimam expromittere cum assecuta maturitatem. Sed versat res nostras DEUS citato turbine, & facta mortalium pro suo arbitrio magis ordinat, quam expectatione nostra dispensat. Nam futurorum improvidi ut nocitura sæpe eligimus utilium specie; Ita & expectamus. In ordinem velle cogere, qui

ex

ex supra **ma** sapientia, summæ audaciæ sit, quique in omnibus spectat bonum, illi non acquiescere, contumaciæ extremæ. Non enim, ut Poëta Græcus verè monuit, quæ agit DEUS aut facit, sub censuram vocanda mortalibus, qvod omnia ea sancta invictaque sint.

Kejiver, inquit, en entōne, θενία ἔργα βράσον.
Πάντα γὰρ ιερά ταῦτα καὶ ἀδέα.

Ceterum, ut aliquid pro more de vita pueræ i^{ts} nostri in medium proferamus. Natus is & in tenebris sum hujus mundi Carcerem ingressus est Hamelæ in Ducatu Brunovicensi Urbe prodigo satis nota, quo CXXX-liberi magico cantu evocati interiisse perhibetur, Anno Epochæ Christianæ cl^o loc^o XLVII. d. XXII. Maij; Patre Viro Spectatissimo ac Integerrimo DN. JOANNE SPORLE^o D^r Mercatore Bodenvedense & Hamelense haud postremo, Matre verò Fœminâ lectissima Anna Armgard Ferbers/ quæ etiamnum in Viduitate degit. Avos salutabat Paternum Virum prudentissimum HENRICUM SPORLEDER Dn. in Esper in Ducatu Brunsvicensi. Maternum Virum Nobilissimum atque Strenuum DN. ANTONIUM FERBERUM Sereniss. quondam Ducum Brunsvic. ac Luneburg. Capitanū olim in Bellersheim fidelissimum. Aviam utramque Matronas à pietate & Virtutibus mulieribus commendatissimas ; Paternam CATHARINAM Schüzen/Maternam ANNAM Weidemann. Possem hic defuncto nostrosanguine & affinitate junctos laudare complures.

Sed genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto,

Talibus Majoribus ortus , talibusque progressus Parentibus postquam per Baptismi lavacrum Christo insertus fuisset, à tenebris statim annis in pietate institutus, & postea idoneis Præceptoribus erudiendus commissus est. Annum agens ætatis XIII. auspiciis Avunculi sui Viri Nobilissimi Amplissimi ac Consul-tissimi Dni JOANNIS LEVINI FERBERI, J.U.D. & Serenissimi Principis Mecklenburgi DN. GUSTAVI ADOLPHI, &c.&c.

Dni

Domini nostri Clementissimi Consiliarii gravissimi (Patrem enim infans adhuc amiserat) cum erectam, sublimem atque aptissimam studiis indolem pueri deprehendisset, per integrum triennium domesticis Informatoribus hominibus eruditissimis in disciplinam traditus est. Magna docilitas, magnum discendi studium, & vigor ingens animi aderat: itaque sistens nusquam, nusquam deficiens, brevi egregia spatia in omnigenere literarum confecit, atq; sic curæ sollicitudinique publicorum Doctorum Philologorum nostri temporis Exellentissimorū DN. BUNSOVII, Scholæ Wismariensis quondam Rectoris optime meriti, & Dn. NOTTELMANNI Lubecensis Scholæ Rectoris dignissimi diligentí commendatione concessus est: sub quorum fideli informatione tantos in humaniori literaturâ fecit progressus, ut in nullo congressu absurdus aut mutus conspiceretur, sed semel quascunque susceperebat partes, has multa ac fermè majore cum laude, quam Condiscipuli pati possent, sustineret. Quare cum hunc ipsum cursum classicum inter varia eximiae indolis indicia, assiduitatis & industriae specimina illustria exegisset, Præceptorum suffragiis ad altiora studia admissus est, utque ubiorem tūm in Philosophiâ tūm in Theologiâ, quibus se totū destinarat, scientiam ibi compararet, jussu Amplissimi sui Dn: Avunculi supra nominati Anno MDC.LXVII. Academiam Regiomontanam adiit, ibidemque tam Excellentissimorum ac famigeratissimorum Theologorum Dn. D. DREYERI, ZEIDLERI & GRABII, quam Clarissimorum Philosophorum DN. M. HOEDII & GORLOVII in Lectionibus publicis & Privatis Collegiis frequentē auscultatore se prebuit. Tandem fama celeberrimorum nostræ Universitatis Theologorum illum hue allexit. Cumq; in Patria & ad Visurgim ob exactiones bellicas Incolarum fortunæ magis magisque cogerentur in arctum, atque sic præsidia studiorum ac viæ è propriis sperare vix posset, Amplissimus ipsius Dn. Avunculus, ne deesset ei quicquam, de Stipendio Polejano prospicere, atq; hoc ipsum benevolè ipsi conferre voluit

voluit. Quo instructus strenue atque a laetitia in studiis pre-
grediebatur. In libris, in lectione, in acroasisbus publicis juxta-
arq; privatis assiduus erat. Nullum sudorem, nullas vigilias de-
fugebat unquam, si quid ex iis consequi poterat, quod exorna-
ret ingenium, & quas pararat doctrinarum opes, augere ac am-
plificare posse videretur. Hoc fine se in hoc eruditiois empo-
rium venisse recogitabat assiduè, eaque de causa suppeditari si-
bi sumptus, non ut obiret tabernas, diesq; ac noctes habitaret
in poculis, simul & rem dilapidans pessimè, & florem ætatis in
occupationibus istiusmodi perdens, quarum deinceps non sine
acerbissimo animi moratu recordaretur. Enim vero, quam dili-
gens studiorum atque industrius, tam probus, modestus, ac so-
brius erat, alienusque earum rerum prorsus, quæ juventuti
nostræ frequenter imponunt, & maxima ingenia haud raro
evertunt. Testari hoc de ipsis vita, moribus atq; studiis non
solùm omnes quotquot in hac Academiâ vivimus abunde satis-
possumus; Sed & præprimis Maxime Reverendus & Amplissi-
mus ipsis Confessionarius DN. HENRICUS MULLERUS,
S.S. Theol. D. Prof. famigeratissimus, & ad D. Mar. Pastor optimè
meritus, Collega noster æstimatisimus atque amicus conjun-
ctissimus; nec min⁹ idem norunt Viri itidem summe Reverendi
ac Excellentissimi DN. AUGUSTUS VARENIUS, S.S. Theol. D.
P. & Consistorii Ducalis Assessor gravissimus, & DN. MICHA-
EL COBABUS S. S. Theol. D. & Profess⁹ excellentissimus, nec
non DN. ZACHARIAS GRAPPIUS, S.S. Theol. Licent. & Logi-
gicæ Professor meritissim⁹, Collegæ omnes mei honoratissimi,
quorum informatione fidei maximo cum studiorum suorum
emolumento usus. Aliquoties etiam è suggestu Conclaves ma-
ximo cum totius Ecclesiæ, applausu habuit, unde facili negotio
conjiciendum, illum, si DEUS vitam diuturnionem concessisset,
tandem Ecclesiastico muneri commode applicandum fuisse.
Sedulus insuper erat auditor Verbi Divini, & Conclaves inde-
finenter frequentabat; totaq; suam vitam pietate erga Deum,

obser-

Observantia erga superiores, amicâ conversatione & Concordia cum æqua-
libus condecorabat. Sub initium hujus anni male habere , atque de omnium
membrorum lastitudine Scorbuti certo nuncio conqueri coepit, quam prava
Viscerum dispositio , & totius ferè corporis intumescentia, graves item ha-
morrhagiæ narium aliaque gravissima symptomata, quæ hic recensere ni-
mis longum foret, comitabantur. Quibus omnibus, quamvis primum à me
ipso, postmodum autem à Domino Collegâ meo honoratissimo D. SE-
BASTIANO Wirdig/ Prof. celebratissimo, generosissimis obviam itum re-
remediis; frustra tamen omnis ea molitus fuit, nec extirpari ullâ ratione po-
tuit malum, quod in vitalia intima radices egerat, non nisi cum spiritu ipso
revellendas. Quod cum obscurum ei esse non posset, nihil cunctatus est, aut
refractariae struxit moræ, sed ducem itineris ad cœlestem patriam in pavido
pectore exceptit. Quanquam enim Medicorum Consilia libenter interim
admisit; tamen juxta in se intimius descendit, & complicatam animi sui no-
tionem evolvens, Animæ quoque medicum imprimis accersendum sibi esse
judicavit. Cujus salutaribus monitis porro incitatus, desideria caducæ &
ærumnabilis vita hujus seriò deponere, tum terrena omnia despiceret, cœlum
autem & celestia solo pectore respicere & ad *Immanuelem* suum concitatis
devotæ mentis passibus properare coepit & contendere. Hujus porro sacra-
tiss. Communione non semel refectus, novissime etiam tanquam extremo
ad irremeabile iter viatico instructus XXIV. Junii intra sextam & septimam
Vespertinam, eidem dulcissimo Salvatori , quem afdentibus suspiriis veluti
stringentibus brachiis atque lacertis complexus fuerat, exilientem animulam
summa cum devotione inter preces adstantium domesticorum red-
didit & commisit , postquam vivendo absorbisset Annos XXIV.
unum Mensem atque duos dies. Ita scilicet, qui vivendi normam & com-
morandi regulam obsequiose observaverat, metam quoque transilire no-
luit. Vestrum nunc est *Cives Academici*, Commilitonem tanti exempli su-
premo honore afficere, ejusque Exequias quā par est frequentia celebrare.
Debetus officium hoc defuncti Virtutibus, debetis Viri Nobilissimi & Am-
plissimi DN.D. JOH. LEV. FERBERI in Provinciam hanc meritis,
cujus ædibus effteretur Funus.

P.P. Rostochii sub Sigillo Rectoratus XXIX. Junii
Anno clo loc LXXI.

Conventus erit in æde D. Mariæ sacrâ
hora prima.

GK



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn774678054/phys_0014](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774678054/phys_0014)

DFG



ex supraea sapientia, summa audacia sit, qui spectat bonum, illi non acquiescere, contumac enim, ut Poëta Græcus verè monuit, quæ agit sub censuram vocanda mortalibus, qvod omniaque sint

Kelvin, inquit, en eminere, θεοντα εργα θεα
Πάντα γαρ ταξιδια καὶ αδέα.

Ceterum, ut aliquid pro more de vita puerorum nos feramus. Natus is & in tenebris sum hujs mungressus est Hamelæ in Ducatu Brunovicensi Unnota, quo CXXX-liberi magico cantu evocati intur, Anno Epochæ Christianæ cl 15c XLVII. d'tre Viro Spectatissimo ac Integerrimo DN. JO der Mercatore Bodenvvedense & Hamelense Matre vero Fœminâ lectissima Anna Armga etiamnum in Viduitate degit. Avos salutabat prudentissimum HENRICUM SPORLEDER Ducatu Brunsvicensi. Maternum Virum Nob Strenuum DN. ANTONIUM FERBERUM S. Ducum Brunsvic. ac Luneburg. Capitanum omnifidelissimum. Aviam utramque Matronas apibus mulieribus commendatissimas; Paternam NAM Schüzen/Maternam ANNAM Weide defuncto nostro sanguine & affinitate junctores.

Sed genus & proavos, & quæ non f
Vix ea nostra puto,

Talibus Majoribus ortus, talibusque progressus postquam per Baptismi lavacrum Christo inseris statim annis in pietate institutus, & posterius erudiendus commissus est. Annum auspicis Avunculi sui Viri Nobilissimi Amplissimi Dni JOANNIS LEVINI FERBERI, J.U. Principis Mecklenburgi DN. GUSTAVI A.

